



2b. 15



PROGRAMMA INCEN-
TIVUM

PHILOSOPHICÆ IN ACA-
DEMIA FRANCOFURTANA
FACULTATIS

DECANI

M. CHRISTOPHO-
RI NEANDRI, MO-
RALIS DOCTRINÆ
PROFESSORIS P.

QUO

*Bona menti operatos, & studiorum liberalium difficult-
tates eluctatos viros ac juvenes.*

Ad

Honores Philosophicos

Artium nutrimenta,

Virtutum honestamenta,

Laborum emolumenta,

Lucubrationum hostimenta,

Diligentiæ & præteritæ auctoramenta,

U futura irritamenta.

Explicatâ fronte & excitatâ mente petendos

Officii ratione,

Studiosè hortatur, invitatur, incitat.



Literis MICHAELIS KOCHII.

lib. 6. var.
6.

in proam.
Dig.

Lanse. 0.
rat. 2.

REVERENDUM HONOREM SUMIT,
quisquis Magistri nomen acceperit: quia hoc
vocabulum semper de peritiâ venit: & in no-
mine cognoscitur, quid sit de moribus aestiman-
dum. Ita Theodoricus Italiae & Gotho-
rum Rex apud Cassiodorum: qui tametsi
de Magistro officiorum, cujus curæ commissa erant me-
moriam, epistolarum, libellorum & dispositionum scrinia;
fabricæ item, & scholæ agentium in rebus, & cursus pu-
blici potestas; præcipuè loquitur: nihil tamè prohibet,
quò minus alia quoq; tam Palatina quam Militaria, nec-
non ea, quæ regijs in scholis hodieq; solemniter confe-
runtur, Magisteria complecti voluisse existimetur. Sunt
nimirum non officiorum modò, scriniorum, libellorum,
populi, equitum, militum; sed & legum, medicinæ ac
divinarum scripturarum Magistri; quos à temporibus Lo-
tharij Saxonis Imperatoris, qui circa annum Christi
M. C. XXXV. vixit, Doctores dicimus: & liberalium ar-
tium ac Philosophiæ, qui speciali notâ Magistri hodiè
vocantur. Horum titulum & nomen quisquis legitime
post deposita rudimenta, & specimina doctrinæ in accu-
rato examine edita accipit: nã ille ejusmodi honorem,
qui, ut alia omnia, quæ excellunt, justam venerationem
habet, consequitur. Quis namque, cujus non vel odio
occupatus, vel malevolentia suffusus est animus, vene-
rationem illi detrahat; quem etiam summo loco nati
Principes, & quasi Dij quidam inter homines non solum
venerati, sed etiam osculati sunt: nec infra illustrem di-
gnitatem suam esse putarunt, si istum ambirent & exam-
birent? Ut n. illorum quidam Theologiæ Doctores, velut
Henetorum & Megapolensium quondam Dux JOANNES,
qui Theologus usurpatur; alij Decretorum, ut ALBERTUS,
Comes

Comes ab Hochberg: ita etiam Philosophiæ & artium alij Magistri, ut HERMANNUS Hassiæ Landgravius; alij Baccalaurei, ut Dux Bojariæ ALBERTUS creari & salutari voluerunt. Qui profectò in ruborem dant, si frontem non planè perfricuerūt, tam ex literatis quosdam, quam imperitum vulgus: quibus Magisterij honos, ex artibus ad humanitatem pertinentibusquæsitus, non titulo reverendus, sed pipulo differendus, non venerabilis, sed despicabilis videtur: adeò quidem, ut illo auctos infra omnes infimos homines, nec ad rem aliquam vel administrationem idoneos, nec præmijs ullis dignos esse putent: eosq; si possint, fortunis omnibus evertant. Quod sacrificulus quoq; compertum habebat ille: qui, cum inter pocula, ut fieri amat, varijs de rebus sermones esset, & quæstio incideret, quonam loco humaniores literæ, earumq; cultores haberentur, festivè admodum, & magis sobriè, quàm ab homine, qui majoribus scyphis poposcerat, expectari potuit, ex tempore respondit:

Si rogitas, quid sint Musæ, quæ fama Magistris:

Sunt Musæ mulæ, nostraq; fama fames.

Quò fit, ut cum magna circa nepotum focos juvenus premat: atque ad illa loca, in quibus aut funirepus periclitatur, aut petaurista jactatur, aut sacularius præstigiatur, aut circulator illudit, aut gladiator eludit, ex omnibus urbis partibus concursus fiant: in Rhetorum ac Philosophorum scholis, ubi ex rudibus eruditi, ex feris cicures, ex mutis vocales, ex infantibus facundi fiunt, magna sit solitudo. Neq; id tamen hodiè aut heri primùm cœpit: sed jam ab antiquo, & pænè dixerim, post homines natos. Queritur enim Umbricius apud Juvenalem, artib. honestis suo ævo nullum esse in urbe locum, *nulla emolumenta laborum*:

& Seneca non sine stomacho scribit *cessare suo tempore*

*Matth.
Steph. lib.
3. de juris.
dict. p. 2.
c. 14. n. 138*

*Baldvin.
Rons. ep. 2.
medic.*

*Polit. in
Lamia.*

*Satyr. 3. v.
21. & seq.*

ep. 95.

in fin. lib. *7. nat. 99.* *2. metaph. l. 1. 2.* *omne studium & liberalia profectos sine ullâ frequentia desertis angulis prasidere: & alibi, Philosophia nullam curam esse. Scilicet ea semper bonarum artium & literarum humaniorum fortuna fuit: ut non rudi tantum vulgo, sed etiã eruditorum nonnullis, qui eminentiori dignitate decorati, sorderet. Absq; his tamen foret, nec illis ad æternã salutem, & vitæ hujus tranquillitatem, & corporis sanitatem iter satis expeditum esset: nec istis ad altiores dignitates, & fortunas majores adscensus patuisset. Quæ admodum n. si Timotheus non fuisset, tantam non haberemq; canendi artem; quod si nec prævivisset Phrynus, minor apparuisset Timotheus: ita, si non fuissent Philosophi; nec Medici ex Phycis, nec Juris-Romani consulti ex Politicorum ac Rhetorum libris, tanquam ex fontibus disputationum suarum principia & artium rivulos ducere potuissent: nec divinorum voluminum Tractatoribus in explicatione operum naturæ & secundæ Edicti perpetui tabulæ tantâ dexteritate versari licuisset. Addo etiam hoc: absq; Philosophiâ, & ejus organis esset: animi nostri sensa nec ordine & sine confusione disponere, nec purè & emendatè sine barbarismis & solacismis exponere, nec ornatè & citra fastidium eloqui possemus. Proinde suus meritò inter literatos, & quidem honestus relinquatur locus Magistris & cultoribus Philosophiæ: quam, captâ Constantinopoli, per Thraciam & rigidissimos Hæmi montes ab exulibus in Italiam translata, majores nostri etiam per Alpes in Germaniam non sine prudenti ratione deduxere: & in scholis regijs, quæ post concilium Basileæ habitum apertæ sunt, unâ cum cæteris disciplinis doceri voluere. Sed è semitâ in viam, & ad Regem Theodoricum redeo: qui non contentus de magisterio tam honorificè judicasse, duas etiam iudicij sui ratio-*

rationes adijcit. *Semper enim, inquit, hoc vocabulum de peritiâ venit: & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus estimandum: indicans, apud quos elegantior doctrina cum virtutibus misturam fecerit, eos demum esse, qui Magistri verè perhiberi possint. Planè enim, ut teste Chrysostomo, multi sunt sacerdotes, & pauci: multi nomine, pauci re: ita multi nomine sunt Doctores & Magistri: reapse verò, seu viri docti, pauci. Qui autem dignitatem illam Magisterij non furari, nec indebitè & insolenter, ut Valentinianus & Valens Impp. loquuntur, Philosophiæ habitum usurpare velit: ab eo leges quoq; & canones duo illa, & insuper quatuor alia, quæ ad priora tamè facilè redigi possint, atq; ita universim sex requirunt. Primò *morum honestatem*: ut laudabilem in se probis moribus vitam esse monstret. Præterquam enim, quod improba anima sapientiæ non est particeps, nec ulla insignis eruditio in impurum pectus cadere potest: nihil profectò turpius est, quàm excellentè esse aliquem culmine, & despicabilem morum vilitate. Quid est namq; dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? quid eruditio in male morato, quàm pura & limpida aqua in puteo cœnoso? Deinde *docendi alios peritiâ & donum*: quo, teste Scaligero, nihil divinius: nihil ijs, qui rectè didicerunt, optatius. In hoc, ait sapientiæ pater Seneca, *gaudeo aliquid discere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam mihi uni sciturus sim. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciam, reijciam. Docendi a. dono & facultate instructus esse non potest, qui prius nō didicerit. Quis n. ille, loquor cum Zozimo Papâ, tam arrogans, tam impudens, qui statim dux esse desideret, cum ante tiro non fuerit; & prius velit docere quàm discere? Quid subjectis seu discere volentibus* (ait*

Col. Rhod.
7. lect. antiq. 13.

l. reddatur
8. C. de profess. & Med. lib. 10.

Panor. in c. proposuisti & n. 14. de prohibit. ex l. un.

C. de Profess. qui in urbe Constant. & d. l. reddatur & l. magistrorum 7. C. de Profess. & Med.

Sap. Salom. c. 1. v. 4.

Salv. lib. 2. de provid.

Exerc. 214. dist. 1.

epist. 6.

ad Ischium c. 2. dist. 59.



lib. 7. regist. Gregorius) prastaturi sunt: qui, antequam discipulatus li-
 ep. 110. rela- men attingant, tenere magisterij locū non formidant? Et præ-
 tus in c. 3. positi ducatum accipiunt, qui nec esse adhuc milites didicerunt?
 dist. ead. Prius quilibet, ex Ruricij sententiā, debet discere, quam do-
 lib. 2. ep. 25. cere: quia præproperè doctoris usurpat supercilium, nisi disci-
 ad Apollin. puli susceperit ante famulatum. In arrogantiam, teste Grati-
 Sidon. F. ano, quæ est ruina diaboli, incidunt: qui puncto hora, nec dum
 dist. 48. in princ. discipuli, fiunt magistri: Et, ut Innocentius ait, miserum est,
 c. 4. dist. 61. eum magistrum fieri, qui nunquam fuit discipulus. Di-
 scendum itaque ei est, qui ad docendum se præparat: &
 longo quidem, ut cum Aristotele Hieronymus censet,
 2. Eth. 1. tempore: sive sacra docere velit, sive philosophica.
 ad Rusticū. refertur in Hinc factum, ut venerabiles sanctorum Patrum sanctiones,
 c. sic hinc 26 cum de Sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos
 caus. 16. q. 1. sacris administrationib. censuerint: quorum omnis ætas à pue-
 c. miramur rilibus exordiis usq; ad perfectiores annos per disciplina ecclesi-
 5. dist. 61. asticæ stipendia cucurrisset. Sic de Philosophiæ sectatorib.
 Seneca scribit, eos non tantum subsecivas horas, & quæ
 op. 53. alijs occupationibus supersint, sed omne omnino tem-
 pus illius studio tribuere oportere. Non n., inquit, Phi-
 losophia est res subseciva, aut in secundis curis habenda:
 sed ordinaria. Domina est, Et regnum suum exercet, dat tem-
 pus, non accipit. Et quod Alexander cuidam civitati, partem
 agrorum Et dimidium rerum omnium promittenti, Eo, inquit,
 proposito veni in Asiam, non ut id acciperem, quod dedissetis: sed
 ut id haberetis, quod reliquisset: idem Philosophia rebus
 omnibus: non sum id tempus acceptura, quod vobis su-
 perfuerit: sed id habebitis, quod ipsa erogavero, &c.
 Neq; tamen ad artem docendi satis est multo tempore
 discere (multi quippe inveniuntur, qui diu quidem in
 multis & illustribus academijs didicerunt, non tamen
 literatiores & meliores, sed tantummodò seniores ibi
 facti

facti sunt) nisi etiam omni studio, & ita discas, ut scientiam teneas. Signum namque scientis est, Aristoteli si credimus, *δύνασθαι διδάσκειν*: & si Hieronymo, *puerile ac circulatorū simile, docere quod ignores*. Scilicet ut ignis admota calefacturus insitā primū vi calet: nix contra, quæ naturā suā frigida est, cætera sibi adsimilat: ita magistrum, quam alijs instillaturus est, doctrinā prius præditum esse oportet. Ad tertium venio *μεγιστεύειν*, quod est *dicendi facundia*; ut parva summissè, modica temperatè, magna graviter dicere possit. Philosophia n. etsi verba non captat, aut multum operæ ijs impendit: (unde Zeno cuidam brevia esse dicta Philosophorum adserenti vera, inquit, loqueris: oportebat nempe, si fieri posset, breves esse ipsorum etiam syllabas: & Cicero à Philosopho, si adferat eloquentiam, non adspernatur: si non habeat, non admodum flagitat) ingenio tamen & eloquio non renunciat: & est in brevitate quoq; copia. Quartum est *interpretandi subtilitas*. Non n. satis est posse aliquem sua explicare & memoriæ mandare: sed aliēna quoq; oportet explanare: quo casu, monente Galeno operam dabit: *ut & libri, quem exponendum sumsit, servet sensum: & commentariorum suorum lectores utilia doceat*. Quintum est *differendi copia*: ut non tueri tantū vera, sed etiā refellere possit falsa. Plena quippe est scientia, ait cum Aristotele M. Antonius Ulmus, *non solum ex assertionē veri: sed etiā ex falsi explosione*: nec solum docendum est, sed propter controversias quoq; evincendum. Ultimum deniq; requisitum est *animi firmitas & constantia*: quā avaritiam & rapacitatem vincere, & pecuniam negligere, & fortunæ vim ferre, & quicquid hic magnum, pedibus calcare, & sui contemptum contemnerē possit. His ingenij dotib. qui se, non dico præcellentissimos, sed vel mediocriter instructos & ornatos esse

1. metaph. 1.
ad Paulin.

Philo in lib.
de judic.

Laert. in vita
Zenon.

1. de finib.

Sen. ep. 75.

in 1. epidem.
Hipp. com.
1.

7. Eth. 14.
in prefat.
tr. de turbabum.

1. possessio 6.
C. de mun.
patrim.

1. in honoribus 8. §. 4.

D. de vac. mun.


1. reddatur

8. C. de Profess. & Med.

Drusius in
notis ad Si-
rac. c. 7, p.
16.

in proximo
sua practi-
ca.
l. 4. C. de
statuis &
mag.

sentiunt: cujusmodi in nostrâ academiâ hoc tempore multos fore spes est: aliquos certè esse constat: eos ratione officij, quod ex CLL. Dnn. Collegarum voluntate septimùm jam gero, *ad reverendum illum Magisterij Philosophici honorem adpetendum & accipiendum* amicè & humaniter invito: iisdemq; si ingredi voluerint, & si pacem nobis ac vitam DEUS concesserit, circa Paschatis festum Honoris templum apertum iri palàm denuncio. Dixit Sapiens quidam Ebræus: Ama opus, & odio habe Magisterium vel Doctoratum. Quo dicto si arrogantiam repressum ivit eorum, qui, cum Melitide aut Coræbo sint stolidiores, & Praxillæ Adonide stupidi-ores, ac vix primis apicibus sufficienter initiati, tamen cum schalâ Itali illius Sophistæ, quæ in proverbium abiit, discurrunt, & nomen suum publicis palatiorum parietibus inscribere cupiunt, hoc est, honores sibi immerentibus decerni postulant, adeoque de nomine potiùs, quàm de re sunt solliciti: nō ad modum illi repugno. Sin verò gradus honorum ut inutiles perstrinxit, & ab ijs appetendis, quod Joannes quoq; Petri Ferrariensis facit, juvenes in literis versatos abstertere voluit: magnoperè ab illo, nec sine causâ, dissentio. *Et virtutum enim premia tribui merentibus convenit:* & interest reipubl., in procinctu quasi stare publico doctrinæ testimonio ornatos, & communi totius Ordinis suffragio approbatos viros ac juvenes, qui decedentib. de statione in ecclesiis, scholis, & rebuspub. succedant. Agite ergo, qui de meliore Titanis luto facti, & per omnes disciplinarum campos indefessâ industriâ vagati estis, Juvenes optimi: nomina mihi vestra maturius edite: & vos illis, qui in eodem vobiscum circo ad palmam currunt, adjungite: nec aut rigorem examinis, qui benignitatem mansuetudinis non deserit; aut severitatem Censorum, quæ comitate condita est; aut sumtuum, qui in hoc annonæ incendio meritò circumciduntur, magnitudinem extimescite: sed de summâ Dei erga vos clementiâ, singulari Dnn. Collegarum & meâ benivolentiâ, de egregio vestro in studiis progressu, felici honorum successu bene sperate, & valete. P. P. sub sigillo Decanatus nostri a. d.

XIII. Kalend. Martii Anno redempti
orbis  10 CXXII.

Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







MMA INCEN-
IVUM

HICÆ IN ACA-
NCOFURTANA
ILTATIS

CANI

STOPHO
NDRI, MO
OCTRINÆ
SSORIS P.

uo
Studiorum liberalium difficult-
s viros ac juvenes.

Ad
hilosophicos

rimenta,
onestamenta,
nolumenta,
um hostimenta,
eritæ auctoramenta,
ræ irritamenta
xcitatâ mente petendos
ratione,
tur, invitat, incitat.

ÆLIS KOCHII.

13
12